



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Fortuna varia apud Romanos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

vindictam sive in hac vita, sive in gehenna infligendam. Unde S. August. lib. 5. de Civ. c. 9. In Dei voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas *adjuvat*, malas *judicat*, omnes *ordinat*.

IV. (e) Mira superstitio veterum Romanorum in colenda Fortuna fuit; quibus alia Fortuna *Bona*, alia *Mala*, alia *Equestris*, alia *Bona Spei*, alia *Obsequens*, quam Servius Tullius ex Serva natus, Rex Romanorum, ad se in cubiculum per fenestram delabi jactabat: alia *Fortis* alia *Redux* sive respiciens, alia *Viscata* &c. nominabatur. *Virilis* etiam & *mascula* dicebatur, sive quod viros assignaret puellis, sive quod virili habitu collocaretur, & masculino nomine honoraretur. Demost. lib. 4. c. 4. De hac Lactantius lib. 3. diu. instit. c. 29. Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus: verum Philosophi ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes, qui Fortunæ sexum mutant, eamque non Deam, sicut vulgus, sed Deum esse dicunt. Fortunæ aurea domestica effigies in Principum aulis usurpata fuit, quam morituri ad alios transmittabant, teste Capitolino. Fortuna *Domestica* Severi Imp. ita filiis est relicta, ut alternis diebus in alterius cubiculo esset. Optimè fortunam expresserunt, qui eam vitream effinxerunt; quid enim eâ fragilius? Elegans recentioris Poëtæ epigramma est in effigiem Fortunæ, à Francisco Floro pictam:

Appellis ille, & æmulator Zeuxidis

Florus, superbæ nomen ingens Belgicæ,

Volubilem cum pingeret Fortis rotam,

Pinxit videntem, sed chiragricam Deam:

Videt sat, inquit, sed fatis dat nemini. Bahus: l. 2.

Idem aliud de eadem.

Non hæc inconstans, ut pictor imagine pingit,

Sed potius constans in levitate sua est.

Et alius.

Nulla mala est Fortuna, æqua omnibus, omnibus una

Spem dat pauperibus, divitibusque metum.

V. (f) Meritò Fortuna, hoc est, mortalium felicitas, ob inconstantiam suam volubili globo seu rotæ insistere fingitur. Verissimè Poëta:

O nulla longi temporis felicitas!

Nemo confidat nimium secundis.

Vidi cruentos carceri includi duces,

Et

(e) *Varia apud Romanos Fortuna nomina & munia.* (f) *Fortuna inconstantia.*